

INQUISITIO IN CAUSAM,

UNDENAM

HODIERNA QUIDLIBET DE RELIGIONE
SENTIENDI, QUIDLIBET DE EA DICENDI,
SCRIBENDIQUE LICENTIA PROVENIAT?

DISSERTATIO
THEOLOGICO - CRITICA,

QUAM

UNACUM POSITIONIBUS

EX

UNIVERSA THEOLOGIA, HISTORIA ECCLESIASTICA,
ET JURE CANONICO SELECTIS

PRO ADQUIRENDA GRADUS LICENTIA

PUBLICO EXAMINI

PROPONIT

IGNATIUS LAURENTIUS STROELLER,

MANCHINGANUS NEO-PALATINUS
ECCL. AUGUST. SACERDOS CURATUS
ET SS. THEOLOGIAE, AC JURIIUM CANDIDATUS.

Cum adprobatione Sac. Facult. Theolog. Universitatis Anglipolitanæ.

EUSTADII,


Sumtibus JOANNIS BAPTISTAE WIDENMANN et Soc. Bibliopolæ.
MDCCLXXXII.



REVERENDISSIMO,
PERILLUSTRI AC AMPLISSIMO
DOMINO DOMINO
MICHAELI,

ORDINIS S. BENEDICTI
ANTIQUISSIMI, CELEBERRIMI, ET EXEM-
TI MONASTERII SCHYRENSIS ABBATI, DIGNIS-
SIMO MOECENATI, AC PATRONO SUO
PERQUAM GRATIOSO.

416 106 063 800 18



4 Theol. 4418


REVERENDISSIME!
PERILLUSTRIS, AC AMPLISSIME DOMINE!
DOMINE PRAESUL DIGNISSIME!
MAECENAS, ET PATRONE PERQUAM GRATIOSE!



*Si eorum, quae ab hominibus aguntur, semper
reddi rationem posse oporteat; plurimas ego
quidem, easque non levis momenti possent
adferre causas, cur tantum in me animi sumserim, ut
pauculas hasce pagellas TUO nomine et auspicio, RE-
VERENDISSIME PRAESUL! in Lucem publicam pu-
taverim emittendas. At unam solum, quae suo pondere
multo*

multo gravior est reliquis omnibus, commemorabo, grati
erga TE animi officium. Quae enim iam a multo tem-
pore in Parentes meos TUI celeberrimi Monasterii Sub-
ditos, ac in me praecipue per annos Studiorum meorum
non paucos largo veluti Cornu effusa sunt, beneficia,
tot, tantaque debent existimari, ut debitas et TIBI,
et TUIS dignissimis Antecessoribus, quorum memoria
in benedictione est, referre gratias nunquam valeam.
Quod igitur in mearum virium imbecillitate est positum,
hoc ea, qua par est, animi promptitudine facio. Hanc,
quam cernis, Dissertatiunculam unacum adiunctis ex
universa Theologia Positionibus ceu laborum meorum
Aca-

Academicorum Primitias TUIS offero quas perquam
demisse exosculor, Reverendissimis manibus, unicam ad-
huc ad priorum cumulum addendam rogans gratiam,
ut, quum opus TE TANTO VIRO dignum non in-
veneris, conatus saltem Discipuli Theologi ne despicias.
Quos si benigne, prout innata TIBI bonitas est, acci-
pere digneris; huius certe, uti et pristinorum beneficio-
rum in me collatorum numquam ero immemor, sed
Deum T. O. M. assiduis rogabo precibus, ut TE RE-
VERENDISSIME PRAESUL! Ecclesiae ornamen-
to, Monasterii TUI bono, Scientiarum incremento, et
Clientum, Subditorumque patricinio sospitem, atque
inco.



PROLEGOMENON.

§ I.



Quum ab longo iam tempore in more positum sit, ut ii, qui ad gradum doctrinalem in aliqua Universitate suscipiendum admittuntur, suis, quas publice defendere praesumunt, Positionibus brevem plerumque Dissertationem praemittant; quumque hic mos per Mandata Serenissimorum Principum, et Electorum nostrorum in strictam adeo legem transierit: Ego quoque dictum morem sequuturus, iustissimaeque legi me humillime subiecturus hanc qualemcumque Dissertationem scribere aditor, optime gnarus imbecillitatis virium mearum, quae ad producendum opus perfectum certissime sunt impares. Hoc tamen nil obstante omnes, quaecumque mihi sunt, vires adhibebo, ut, si opus fortasse minus placeat, saltem conatus displicere non debeat. —

A

§ II.

*incolumem quam diutissime conservet. En TIBI hanc
meae erga TE observantiae, ac devotae gratitudinis
Tesseram.*

REVERENDISSIMI
PERILLUSTRIS, AC AMPLISSIMI
NOMINIS TUI

Cultor submississimus
IGNATIUS LAUR. STROELLER.

§ II.

Equidem diu scrutabar mecum, quodnam potissimum obiectum pro hac scriptione eligendum sit mihi. Et tandem prae omnibus mihi placuit in causam inquirere, undenam hodierna quidlibet de Religione sentiendi, quidlibet de ea dicendi, scribendique licentia proveniat?

Scholion. Et sane! si Theologi munus totum in eo situm est, ut Religionem divinitus nobis revelatam et ipse cognoscat, et aliis cognoscendam tradat; obligatio ei quoque incumbat, necesse est, ut hanc sacram scientiam contra irrupentes quotidie hostes defendat, et factam, tectamque conservet ad morem SS. Patrum, qui contra Hostes Religionis suo tempore exsurgentes acerrime semper pugnabant e. g. S. Augustinus contra Pelagianos, et Manichaeos etc. S. Athanasius contra Arianos etc. S. Athanasius contra Arianos etc. S. Pacianus contra Novatianos etc. etc. — Constat, modo tot existere Theistas, et Indifferentistas, quot existere nunquam. Nemo igitur erit, qui electionem obiecti pro hac mea Dissertatione tanquam minus aptam, vel temporis disconvenientem vituperare iure possit.

§ III.

Saepe iam viros doctos hac super re consului, saepe eos circa hoc idem punctum concionantes, disputantesque audivi; verum tam responsio, quam concio, et disputatio fuerant variae pro varietate virorum, eorumque ingeniorum.* Saepissime ego ipse in originem huius mali inquisivi, et consideratis omnibus sequens mihi causa occurrit, *inversus* videlicet, *qui per plura saecula grassabatur, Theologiam tradendi modus.***

* *Schol. 1.* Omnes isti originem huius mali refundebant, vel in despectum Cleri, vel in vagam licentiam omnes indiscriminatim libros typis evulgandi, vel in ignorantiam aliquorum animarum Pastorum, et in incertitiam, quae inde emanare debet, eorum ovium etc. etc. At vero haec omnia, uti infra videbimus, non sunt causa ultima, et completa, sed tantum effectus alicuius causae iam praeexistentis.

** Ne haec adrogantius a me dicta esse videantur, libere profiteor, me utpote Theologum iuvenem totum Theologiae aedificium rimari neque velle

velle; sed eos tantum errores, si sic dicere liceat, in medium proferam, qui etiam mediocriter in re theologica versato in oculos incurrun.

§ IV.

Theologia quid sit, si a me quaeratur, misis omnibus *Metaphysicationibus* eam aliter non definio, quam quod sit *Scientia Religionis*.* Quum igitur modo in Statu Religionis a Christo Domino nostro revelatae versetur, in aprico est, nostram Theologiam, si non unice, saltem primario in illud incumbere, illudque tradere debere, quod *Verbum Dei scriptum*, et *traditum* ceu *Revelatio divina*, quod SS. Patres utpote *Testes veritatis legitimi*, quodve *Ecclesia* nostra a Deo *dono inerrantiae* praedita credendum, atque agendum proponunt.** His autem, ut omnia rite fiant, adiungendum est studium historiae ecclesiasticae. Haec enim vero facem praefert Theologo, et absque huius notitia Theologia solide doceri, addiscique numquam poterit.*** - In quantum rationi in rebus theologicis locus sit, infra pluribus patefiet? —

* *Schol. 1.* Theologia sic definita, omnes, quae circumferuntur, eius Divisiones admittit.

** *Schol. 2.* Haec tanquam prima Theologiae Principia ab omnibus adstruuntur. —

*** *Schol. 3.* Quod Historia ecclesiastica a plerisque ultimo loco ponatur, et inter Principia secundaria numeretur, vel omnino ad subsidia, et adminicula ablegetur; hoc capere non possum. Certum est enim, quod in veteri Testamento per duo millia annorum, et ultra, usque ad Mosen scilicet nulla extiterit Lex scripta, sed Religio revelata per Traditionem oralem, seu historiam fuerit propagata, puraque conservata. — Constat etiam, quod in novo Testamento non statim in primordio fundatae Ecclesiae veritates a Christo revelatae literis fuerint consignatae; sed Evangelium S. Matthaei, quod fuerat primum, ante octo (iuxta alios omnino duodecim) annos post mortem Nostri Redemptoris in Vulgus scriptum non produit. — Ex hoc palam fit, quam necessarium sit Theologo studium historicum. Nam sine historia nequidem existentiam Religionis revelatae ostendere possumus. Nil dicam de aliis erroribus, in quos Theologus hac historia destitutus quotidie labi vel invitiis Theologiae meretur, quam quem hucusque obtinuit. —

§ V.

Sicut porro *unus datur Deus, et una Fides*; ita unica tantum per se spectata admitti potest *Scientia Religionis*, seu *Theologia*.* Et primis quidem saeculis nobilissima haec disciplina tam propter certitudinem suam, quam propter utilitatem summa splendebat auctoritate; sed hoc ideo factum esse existimo, quod simplex, et recta (ut dicere amamus) incederet, Doctoribus in illud tantum incumbentibus, ut omnia sua documenta ex fontibus puris, ex Verbo Dei scripto videlicet, et tradito, ex monumentis SS. Patrum, ex Eloquiis infallibilis Magistrae Ecclesiae haurirent, praxim primaevam, quam eis Historia propinabat, sedulo coniungentes.**

** *Schol. 1.* Haec haut ita intelligi volo, quasi divisionem Theologiae in varias partes e. g. *theoreticam*, et *practicam* etc. etc. abjicerem.

Id tantum optarem, ut Theologiae Doctores in tradenda divina Scientia non adeo dissentirent. ---

** *Schol. 2.* Haec sunt primaria nostrae sanctissimae Religionis fundamenta. Haec si Theologis semper in usu fuissent, tot aberrationes a vera Theosophia produissent nunquam. ---

§ VI.

Non id ab antiquis Ecclesiae Doctoribus agebatur, quod postea agi videbamus, ut ingeniis suis supra modum indulgentes, fontibus limpidis ferme penitus relictis argumenta sua vix non omnia ex sola ratione peterent: in quaestiones non necessarias, et inutiles inquirerent: opiniones probabiles pro veris venderent, certa cum incertis commiscendo, et de incertis tamquam de certis disputando. --- Res demum eo devenerat, ut Theologiae Magistri in varias sese dividerent Scholas. --- Hinc, si libros theologicos perlegamus, ad eandem quaestionem diversissimas quandoque, immo plerumque deprehendemus responsiones. Sic e. g. unus dicit: hoc est de fide; alter defendit: Hoc est verum. Tertius docet: Hoc est probabile, quartus tradit: hoc est falsum.

sum etc. immo omnes omnino recensionis gradus percurrunt, et ab veritate summa ad falsitatem extremam perveniunt. ---

Schol. Si quis tales diffensiones legere cupiat, in obviis, diversarum praecipue scholarum Theologis, in omni fere pagina inveniet. ---

§ VII.

Jam videamus, quam graviter hi erraverint, et quanta vulnera vel invicti nostrae sanctissimae Religionis inflixerint, quo modo ansam dederint, et causa extiterint, de Religione quilibet sentiendi, dicendi, scribendique?

§ VIII.

Ut autem rem clare proponamus totam hanc Scriptionem in quatuor capita dispartimus. In Cap. I. sermo erit de immoderato usu rationis in rebus Religionis. In Cap. II. loquamur de quaestionibus non necessariis, et inutilibus in Theologiam inventis. Cap. III. de Opinionibus probabilibus, et Cap. IV. denique de variis Theologorum Scholis agemus. His omnibus pertractatis brevis adnectetur Conclusio. --- Sit igitur

CAPUT I.

DE IMMODERATO USU RATIONIS IN REBUS RELIGIONIS.

§ IX.

Ad eos ergo, qui in rebus Religionis rationi plus aequo indulgent, meus convertitur Sermo. --- Verum est: idem auctor Rationis est, qui est auctor Revelationis, Deus scilicet summe perfectus, summe verax. Ast et hoc verum est, quod totus homo cum tota sua ratione spectatus ens tantum finitum sit, ac limitatum:

tum: et sicuti multa a Deo revelari possunt, et actu revelata sunt, quae quidem rationi humanae haut repugnant, attamen eam penitus superant; ita ratio, ubi aliquid capere non potest, de quo tamen aliunde certo constat, quod revelatum sit, auctoritati Dei revelantis sese submittere absque omni cunctatione, absque omni haesitatione obligabitur. *Fides enim iuxta Doctorem Gentium est sperandarum substantia rerum, argumentum non adparentium** et *Beati dicuntur a Christo, qui non viderunt, et tamen crediderunt.***

* Epist. ad Hebr. II. v. I.

** Joan. 20. v. 29.

§ X.

Ratio nos docet, Deum existere, ens perfectissimum, omniscium, veracissimum. --- Si igitur certi sumus, hoc vel illud a Deo sive dein immediate per se, sive mediate per alios esse revelatum;* tunc enimvero inquisitioni Metaphysicae iam locus superest nullus; sat enim temerarium foret, imo blasphemum, dubitare de summa, et infinita veracitate Dei ex ea tantum ratione, quia, quod revelatum est, intellectum humanum superat. *Non enim Deus est quasi homo, ut mentiatur.** Et qui ulterius Scrutator Maiestatis est, opprimetur a Gloria.****

* *Schol.* Et si Deus non per se, sed per alios e. g. Prophetas, Patriarchas, Apostolos etc. plurima revelarit, dummodo hi viri per certas notas suam divinam Missionem ostenderint, eodem modo eorum eloquiis, ac si Deus immediate loquutus fuisset, ad sensum firmum praestandum esse, sana ratio nos omnes docet. ---

** Lib. Num. C. 23. v. 19.

*** Prov. C. 25. v. 27.

§ XI.

§ XI.

Et quidem haec veritas non tantum clare elucet ex S. Scriptura, et ratione naturali (§ praec.) sed insuper ab antiquis Ecclesiae Patribus, et aliis viris doctis mire confirmatur, roboraturque. Unum alterumve in hanc rem adducere sufficiat. --- *Quid opus est, inquit Tertullianus,* inventione post Christum? quid opus est inquisitione post Evangelium? --- Fides non est superborum, sunt verba S. Augustini,** sed humilium. --- Sunt non nulli inquieti Spiritus. Optime adnotat S. Gregorius M.*** qui, dum plus exquirunt contemplando, quam capiunt, usque ad perversa dogmata erumpunt: et, quum veritatis discipuli humiliter esse negligunt, Magistri errorum fiunt.* His quoque adstipulatur doctissimus Muratorius in suo aureo, et nunquam satis laudando libello de moder. Ingen.**** ubi ita effatur: *nimia opinandi licentia haereses parit, fidem, et ipsam rationem temere laedit.*

* Lib. de Praescript.

** Serm. 115. alias 36. Cap. 2. n. 2.

*** Lib. 6. moral. c. 17.

**** Cap. 12.

Scholion. Quam turpiter Protestantes, et alii haeretici circa hoc punctum erraverint, et adhuc errent, in vulgus notum est. --- Sed et hoc summopere dolendum, quod moderno tempore ex gremio nostrae Ecclesiae Doctores exsurgant, qui, non dicam, in tradendis morum Dogmatis, sed in probandis ipsis summis, et incomprehensibilibus Misteriis divinis rationi ferme omnia deferre publice non reformident. Cupiunt Rabbini potius vocari, quam Rabinorum Auditores. Praetendunt, ut ipsis omnes adsurgant, ipsi vero nemini adfurgere volunt.

§ XII.

Denique ipsa experientia, quam nobis Historia ecclesiastica ab omni retro antiquitate ad nostra usque tempora tradit, hanc veritatem in plenissimam lucem constituit. Si enim caussam et fon-

fontem omnium haeresium, quae unquam exortae sunt, quaeramus, historia certos nos reddit, ortum omnium haeresium, omniumque Sectarum in nimiam rationis usum indulgentiam esse refundendum. Sic Judaei in veteri Testamento nunquam tantopere a via recta deflexere, quam paucis ante Christi adventum annis, quum scilicet Philosophia Graecorum in scientiam Revelationis inducta omnem ferme Religionem amitteret.* Notum est nobis, quam enormiter erraverint in nova Lege Gnostici, Sabelliani, Ariani, Macedoniani, Valentiniani, Manichaei, et innumeri alii. Sed si indagetur, quidnam in causa fuerit, eadem Historia nos edocet, hoc ideo factum esse, quod isti Haeresiarum Philosophiae, id est, rationi nimium confiderent, et quum eam cum veritatibus revelatis combinare non possent, Revelationem absque haesitatione vel omnem, vel quoad partem abjicerent. Hinc verissimum est illud S. Augustini: *Superbia est Mater omnium haeresium, et --- quamquam haereses sint diversae tam quoad doctrinam, quam quoad Loca, tamen eas omnes una Mater Superbia genuit.***

* *Schol.* Dividere se in varias Sectas, sic noti sunt nobis Pharisei, Sadducei, Samaritani, Eseni. ---

** *Lib. contra epist. Manich. et Lib. de Pastor. in cap. 34. Ezech. cap. 10. --- Ex his haud incongrue concludere licebit per*

Coroll. I. Quod ii Theologi non absque periculo errandi sint, qui in Mysterium SS. Trinitatis eo usque inquirent, ut dicere audeant, se illud ex sola ratione demonstrare posse. Neque vero per

Coroll. II. Illi per omnia mihi tuti esse videntur, qui modum, quo peccatum originale contraxerimus, ex ratione naturali adeo facilem demonstratu esse dicunt, ut nihilum mysteriosi amplius remaneat. Et sic per

Coroll. III. Illi quoque minus placent, qui in explicanda efficacia gratiae Dei, libertatem hominis eo usque adtollunt, ut liber-

libertatem Dei vix, vel ne nix quidem amplius salvare valeant. Certe hi Doctores adcurratiores et adcurratiores non sunt, quam fuit Magnus Pater S. Augustinus, qui tamen, ubi de his Mysteriis loqui ab Haereticis cogebatur, ultimato semper respondit, sibi dogma certum esse, modum vero, et rationem, cur Deus sic fecerit, et non aliter, se ignorare libere fatebatur saepe saepius exclamans cum S. Paulo: O altitudo Scientiarum Dei! --- O abyssus multa! --- quam investigabiles sunt viae eius! ---

§ XIII.

Ex hucusque tamen dictis nemo concludat velim, quasi nos in rebus theologicis omnem Rationis usum respueremus. Longe hoc absit --- nam id, qui faciunt, maxumam profecto iniuriam inferunt auctori naturae, seu rationis, qui idem est, ut supra diximus (§ IX.) ac ille Revelationis, Deus videlicet omnipotens, et omniverax. Certe Deus per suam Revelationem, Legem a semetipso cordibus nostris infusam nunquam abrogavit, imo nequidem abrogare potuit; (ex Metaphysica) sed eam magis declaravit, magisque adiutum ivit.* Heinc tantum abusus rationis vitandus est, bonus vero usus retinendus.

Haec dicta rursus confirmat supra laudatus Muratorius, quum in citato Loco ita dicere pergat: *nimia ingeniorum servitus in superstitionem deducit, malum profecto teterrimum, et aequae, ac haereses Religioni verae formidandum. Ab utraque cavendum esse et Ratio ipsa, et Ecclesia catholica monent.* His insuper addit: quam enim procul esse debeat studium illud rimandi res divinas inquietum, curiosum, fidei infensum, quale in Haereticis deprehenditur, non tamen rectum illud, modestum, ac fidei subditum, quod Catholicorum proprium est.**

* *Schol. I.* Christus ipse dixit, *se non venisse solvere Legem, sed adimplere.* --- Et quamquam hic Textus stricte sumtus forsitan de sola Lege Moisaica intelligatur; tamen ad Legem naturalem adplicari potest, et debet. Lex etenim naturalis a Deo est, sicuti ergo Deus contradicere sibiipsum non potest, ita etiam tollere, aut immutare nunquam poterit. --- Quod vero Christi

ftus hanc Legem magis determinaverit, et declaraverit, ex Libris Evangelicis ubique elucet. e. g. de amore Dei, de amore proximi, immo ipforum inimicorum etc.

* *Schol. 2.* Ratio quidem inquirere potest, an hoc, vel illud revelatum sit, nec ne? si dubium adhuc remaneat, audienda est Ecclesia. Postquam certo constet, Revelationem adesse, tunc auctoritati supremæ nos submittere adstringemur, et hoc sufficit, ut obsequium nostrum sit rationabile. Aliquid vero non credere ex eo tantum capite, quod capere non possimus, nunquam licet; nostrum enim intellectum in servitutem redigere tenemur per humilitatem, quia lapsi sumus per superbiam, et inobedientiam. ---

CAPUT II.

DE QUAESTIONIBUS NON NECESSARIIS, ET INUTILIBUS IN THEOLOGIAM INVECTIS.

§ XIV.

Jam ad eos progrediamur, quibus volupe est, quaestionibus non necessariis, et inutilibus in rebus Religionis sese immiscere.

§ XV.

Huiusmodi quaestiones nostrae scientiae sacrae intrudi sane nunquam debuissent; quippe quae ad nil aliud inserviunt, quam ut utilia, et magis necessaria negligantur, ingenia addiscentium sine fructu defatigentur, et tempus tam utile inutiliter perdatur.

Schol. Nos invenes Theologi, quum sacram Theologiam audire, Librosque theologicos legere incipimus, inter necessaria, et non necessaria, inter utilia, et non utilia discernere neutiquam possumus. Heinc tantum studium his impendimus, quantum vix illis impendere solemus, et id eo magis, quo maioribus disputationibus quaestiones non necessariae, et inutiles subiectae sunt. ---

§ XVI.

§ XVI.

Nequis vero meam adsertionem in dubium trahat, eam statim ostensum ibo. Nunquid satis est, scire Dogma, quod nostri Protoplastae Adamus, et Heva in Paradiso statu originalis Justitiae donati primitus constituti fuerint, quodque per suum lapsum et sibi, et nobis omnibus via naturali ab iis descendantibus praeter alia mala, et ipsam mortem aeternam adsciverint. --- Quo vero praecise tempore, quo instanti nostri Proto-parentes peccaverint? et ex Paradiso depulsi sint? quo in loco Paradisus situs fuerit? an adhuc hodie, et ubi existat? quo demum modo nos Posterii Adami peccatum originale contraxerimus? --- Haec omnia partim non necessaria, partim inutiliter, partim non absque periculo errandi quaeruntur.

Schol. Hae, et huiusmodi quaestiones utramque Theologorum paginam implent, pro exemplo omnium legi possent opiniones diversissimae de Situ Paradisi, quas recenset Doctus. Amat de Graveson in sua hist. eccles. Vet. Test. p. 30. --- Ubi denique cum S. Augustino concludit: *melius est dubitare de occultis, quam litigare de incertis.* --- Quod in talibus quaestionibus quoadque non desit periculum errandi, iam supra (Coroll. II. § XII.) adnotavimus.

§ XVII.

Sic satis est iterum scire, Angelos esse creatos, et magnam eorum partem propter peccatum suum in infernum esse detrusam. Quo autem in loco creati fuerint, an in coelo empyreo, an vero in coelo empyreo proximo? quo praecise tempore creati fuerint? quo instanti peccaverint? an praeter peccatum superbiae aliud prius peccatum commiserint? an non corporei sint, et circumscribi queant? etc. Haec iterum absque necessitate, absque utilitate, et aliquando non sine periculo errandi quaeruntur, et sic de centum aliis. --- *Theologia nostra est Scientia Religionis, (§ IV.) non vero scientia Curiositatis. Certitudo circa eiusmodi quaestiones haberi non potest, coniecturae nihil probant.* ---

Schol. Scio, ipsos SS. Patres quoad Angelos multum inter se dissenisse. Sed hoc nostris Theologis non favet, immo potius suadet, ut minus inter se disputare deberent. Satis enim foret, si dicerent: Hoc SS. Patres ignorarunt, ergo et nobis ignorare licebit, et id eo magis, quia Ecclesia circa haec omnia nihil certi edixit. --- Heic tamen loci praeterire non possum eos, qui adferunt, Angelos non potuisse creari, vel constitui in coelo empyreo, hac solum ducti ratione, quia dedecens fuisset, ut talis locus per aliquod peccatum macularetur. --- Quasi vero peccatum Angelorum fuisset perpetratum corpore et non animo.

§ XVIII.

Quicumque igitur voluptatem in his quaestionibus invenire se autumant, his suadendum esse videtur, ut eas secum ipsis privatim pertractent, neque alios ad expensas superfluas, laboresque inutiles compellant.

Schol. Certo melius foret, veroque Theologo magis conveniens, si loco talium quaestionum aliae ponerentur, per quas discipuli instruantur, quomodo certa Dogmata fidei, et morum, imo ipsa summa Mysteria nostrae sanctissimae Religionis tam ad utilitatem propriam, quam ad utilitatem aliorum, quibus aliquando tanquam Pastores animarum praerint; bene adplicare, et adhibere queant. ---

CAPUT III.

DE OPINIONIBUS PROBABILIBUS.

§ XIX.

Quum de Opinionibus probabilibus loquimur, ante omnia adnotandum venit, hoc vocabulum: *Probabile* a SS. Patribus olim in alio longe sensu sumtum fuisse, quam hodie sumitur. *To probabile* enim antiquitati idem erat, ac *To pium, probum, probatum*. ---

Schol.

Schol. Sic testantur plerique viri et doctrina, et pietate conspicui, quibus plus temporis legendis SS. Patrum Scriptis, quam auctoritati Casuistarum deferunt.

§ XX.

Qui hodiernos Theologiae Moralis Magistros perlegit, sensum huius vocabuli longe alium detegit. * Recentioris aevi ergo est totus *Probabilismus*, et quicquid circa *Probabilismum* versatur, auctoritatem ex veneranda antiquitate ostendere potest nullam. **

* Constat enim apud omnes cordatos viros, quod loco vocabuli: *verisimile*, in Theologiam ex Philosophia Platonica, et Aristotelica inventum fuerit vocabulum: *Probabile*.

** De hoc quoque Historia Theologiae literaria nos certos reddit *Probabilismum* non multum supra ducentos annos se extendere.

§ XXI.

Secundum est, quod heic animadverto, doctrinam, de *Probabilismo* adeo obscure plerumque a Casuistis pertractari, eamque tot divisionibus, et distinctionibus circumvolvi, ut perlectis omnibus vix, vel ne vix quidem intelligi possit, quomodo quisque intelligi velit. ---

Schol. Haec omnia iterum in vulgus nota sunt. --- Heic tantum adnoto, an tot divisiones, et Distinctiones non per se iam malam causam prodant?

§ XXII.

Tertio occurrit, quod vix ullus *Probabilistarum* inveniatur, qui Regulas de sua doctrina ita universales tradit, ut ad omnes casus particulares (paucis exceptis) adplicari possint.

Scholion. Semper enim exceptiones fabricant, et ubique effugia quaerunt.

§ XXIII.

Non is sum ego, qui viros maximae auctoritatis vel recensere possim, vel velim; attamen hoc mihi veniae dabitur, si unicam hac in re sequar Regulam divinitus nobis datam: *omnia probate: quod bonum est tenete.* Tali enim modo et nimius rigor vitabitur, et perniciofa laxitas depelletur solo retento *Prudentissimo*, qui certe hanc laudem prae caeteris habet, quod instar virtutis in medio ambulet. ---

§ XXIV.

Et sane hic Prudentissimus praeter intrinsecam rationem etiam auctoritatem externam maximam adeptus est in Comitibus generalibus a Clero gallicano a. 1700 celebratis, ubi hae duae capitales Regulae fuerunt sancitae.

I.) *In dubio de salutis negotio, ubi aequalia utrimque animo sese offerunt rationum momenta, sequamur id, quod tutius, seu quod in hoc casu unice tutum est.**

II.) *Nemini liceat eligere sententiam, quam non veritati magis consentaneam esse duxerit.***

* *Schol. 1.* Ego plane, quotiescunque sermo est de actione morali hominis, aliud negotium praeter negotium salutis ignoro. Sic ipsi Patroni Probabilissimi Ecclesiam verentes defendere debent, quod in materia Sacramentorum, in materia Iustitiae, et ubi agitur de praecedentibus tertii, non liceat sequi sententiam probabilem relicta probabiliori. Atqui, inquam ego, non potest adduci casus, ubi non agitur de materia Sacramentorum, de materia Iustitiae, vel de praecedentibus tertii. --- Duo membra antecedentia per se patent; tertium vero ex hoc elucet, eoquod, quotiescunque agitur de casu peccaminoso, semper agatur vel de praecedentibus Dei, vel de praecedentibus sui ipsius, vel de praecedentibus proximi (ex triplici amoris praecepto). ---

** *Schol. 2.* Hoc praefecto ad sensum SS. Patrum est probabile, et iuxta nos unice prudens.

§ XXV.

§ XXV.

Pro Coronide huius praesentis Capituli adhuc adnoto quasi per

Corollarium, me nullum omnino casum invenire, ubi *Probabilissimo* sit locus. Vel enim certam Legem habemus adstringentem nos ad aliquid agendum, vel ommittendum? --- vel de tali lege dubitamus? --- vel omnino certi sumus de non existentia legis? --- Si primum: istud agere obligamur, quod Lex praecipit, et istud ommittere, quod prohibet. Si secundum: iuxta maiora rationum momenta nos determinare tenemur. Si tertium: tunc in *Statu quo* persistere, et a nova actione abstinere adstringemur.

CAPUT IV.

DE DIVISIONE SCHOLARUM.

§ XXVI.

Nunc de Divisione Scholarum adhuc pauca dicenda supersunt. Et haec quidem Divisio in se, et obiter tantum spectata nostrae Religioni non gloriam, sed potius probrum inferre videtur, utpote iis solum Religionibus conveniens, quae certo, et infallibilitate coguntur.

Scholion. Olim praefecto non erat sic. Nam in primis Ecclesiae incunabulis Religio christiana ad exemplum Christi, eiusque Apostolorum simpliciter adnuntiabatur, catecheticeque proponebatur. Cum vero Philosophia Platonica, et Aristotelica in doctrinam Religionis inveni, et denique scholastica, et systematica fieri inciperet, quilibet illius nomen adsumere adfectabat, quod aliquid novi invenisse existimabatur; et exin proveniunt haec pervulgata Scholarum nomina: *Schola Augustiniana, Thomistica, Molinistica.* ---

§ XXVII.

§ XXVII.

Et quidem ea, quae paulo ante (§ praec.) diximus, de iis Theologis verissima esse videntur, qui in verba sui Magistri iurant, et uni Scholae adeo stricte adhaerent, ut non obstantibus omnibus in contrarium Probationibus ne latum quidem unguem ab illa discedere audeant. Nae! his cum veritate dicere possumus: *Nos Christiani sumus: unum Magistrum, unam Religionem veneramur, ergo et unam tantum, videlicet christianam Theologiam profitemur.*

Scholion. Haec fuit vox primis Christianis adeo inhaerens, ut quotiescunque a Iudice quaerebantur, quomodo vocentur? Omnes uno ore clamabant, *se christianos vocari.* — Et certe gloriosiori nomine nostram Theologiam efferre haut possumus, quam si eam christianam adpellemus.

§ XXVIII.

Haec divisio Scholarum (ex Schol. § XXVI.) origine tenus ex diversitate Philosophiae provenit. Quum igitur Philosophia pro varietate temporis variata est, mirum videri nemini debet, eiusmodi Theologiam Philosophicam varias quoque sustinuisse variationes.

§ XXIX.

Ad finem huius Capitis praeterire non possum verba S. Pauli suos Colosenses sic admonentis: *Videte, ne quis vos decipiat per Philosophiam, et inanem fallaciam secundum Traditionem hominum, secundum Elementa mundi, et non secundum Christum.* Cap. 2. v. 8.

§ XXX.

Haec de diverso, qui per plura saecula grassabatur, Theologiam tradendi modo dicta sufficiant. Modo restat, ut paucis ostendam, quanta mala per istam Theologiam nostrae Religioni
ad-

adceserint, quove modo per eam sanctae Ecclesiae hostibus, aliisque pravis hominibus occasio data fuerit quilibet de Religione sentiendi, quilibet de ea dicendi, scribendique. Et hoc praestabit

CONCLUSIO.

§ XXXI.

Profecto ex dissensione Doctorum necessario oriri debuit confusio doctrinae, et, quod consequum est, animorum dissecatio.

Heinc alter alterum carpebat, alter alterum scommatis lacebat, contumeliis adiciebat, erroneae, aliquando omnino haereticae doctrinae incusabat. ---

Scholion. Hoc quilibet videre potest in obviis Theologorum Scriptis, praesertim iis temporibus editis, ubi Molinismus invehus est, et tot Congregationes de auxiliis, seu de Systemate gratiae fuerunt habitae. ---

§ XXXII.

Hinc factum est, (et quomodo aliter fieri potuit?) ut ipsi Magistri amoris, praeceptum amoris turpissime laeserint. Abominanda inter eos dissensio dominabatur in doctrina eius, qui non est Deus dissensionis, sed Pacis. ---

§ XXXIII.

Id ubi nostrae Religionis hostes, et alii homines mali videbant, ab accidentalibus (quamquam hoc fieri nunquam debuisset) ad ipsa substantialia Religionis concludentes, depressa auctoritate nostrorum Doctorum, spretaque eorum doctrina occasionem sibi
C
sum-

sumserunt in Sancta Sanctorum tam verbis, quam factis, scriptisque impunc debachandi, donec Religio in hunc, quem modo dolemus statum deduceretur.

Schol. Silentio praeterimus Scripta Haereticorum, quae ultimis praesertim his temporibus in contumeliam nostrae Religionis Romano-Catholicae divulgata fuerunt. Sed id tolerari certe non amplius potest, quod ipsa nostra Ecclesia in suo gremio tales alat filios, qui vel nulla unquam Religione fuerunt imbuti, vel, si imbuti fuerint, ea pessime abutantur, et quasi *Matri-
cidae* evadant. ---

§ XXXIV.

Quid iam remedii contra hoc extremum Ecclesiae nostrae exitium? Libros plerumque prae manu habemus, qui nil de sacra Scriptura, nil de verbo Dei tradito, nil de SS. Patribus, nil de Ecclesiae decisionibus continent, quique historiam Ecclesiasticam sapiunt nullam. Hisce Libris instructi sunt animarum Pastores. In scholis de Libris utilibus nihil audiverant, imo si quis Liber utilis, et vere Theologicus divulgabatur, plerumque in primis suis incunabulis nota mala infectus reprimebatur. Historia Ecclesiastica tradebatur vel nulla, vel immixta Theologiae scholasticae, et eo ipso opinionibus iam praeconceptis per ias, et nefas adcommodata. Theologia Moralis ita docebatur, ut esset potius exuberantis ingenii subtilitatum textura. De historia Theologiae literaria, de Theologia Patristica, et Pastoralis etc. ne nomina quidem fuerunt nota. Ergo omnibus armis destituimur, quibus hostibus contraire, quibus eos vincere, profligareque possimus.

§ XXXV.

In medium igitur inquirendum erit, quo omnia haec mala tollantur, penitusque eradicentur. --- At vero

§ XXXVI.

§ XXXVI.

Remedium optimum prae manu est nobis quod, nisi me omnia fallant, ex speciali Providentia Dei de caelo submissum est. Tales enim modo (Deo sint infinitae grates) in hac celeberrima Universitate Religionis Doctores veneramus, quorum unicus conatus, unicusque labor in eo est, ut Theologia sacra ad bonam iterum formam, ad suam antiquam simplicitatem, et rectitudinem, ad suum nativum splendorem, candoremque redigatur. --- Nul- lum inter eos invenire est, qui uni Scholae adeo stricte adhaeret, ut relicto meliore eam sequatur; nullus, qui in obscuris Metaphysicationibus voluptatem quaerit, Scripturas sacras, Traditiones veras, monumenta SS. Patrum diu, noctuque pervolvunt omnes, et ubique adplicare sedulo adnituntur. Historiam Ecclesiasticam ita adhibent, ut eam non iuxta sententias suas iam antea stabilitas, sed sententias iuxta historiam iam diu fundatam dirigant. Paucis: Tales Patres nobis gratiosissime concessi sunt, qui non confusam, non inutilem, non Philosophicam Dei Revelationis doctrinam tradunt, sed, qui *Theologiam vere talem*, hoc est dicere, *scientiam a JESU CHRISTO Deo-Homine revelatam* docent. ---

POSITIONES EX HISTORIA ECCLESIASTICA.

I.

Studium Historiae Ecclesiasticae Theologiae, et Jurium Candidatis est necessarium, omnibusque hominibus perutile, et amoenum.

II. Haec disciplina nos edocet, Religionem christianam non demum a Christo in plenitudine temporis nato ortum ducere, sed inde repetendam esse, quum Protoparens noster Adamus lapsus est, et universum genus humanum secum in perniciem, ac damnationem abduxit, inde autem enitendi spem in Christo Liberatore adcepit.

III. Religionis forma initio admodum simplex licet summe necessarios tantum complecteretur articulos, ut eo facilius Traditione orali ad Posteris propagari posset; cito tamen contaminari coepit.

IV. Tandem promissus ab origine Mundi, et a Fidelibus iugiter expectatus advenit Redemptor generis humani Christus JESUS. ---

V. Ad divulgandum undique suum Evangelium elegit sibi Christus duodecim Apostolos: elegit et alios septuaginta duos.

VI. S. Petrus, quam singularem adcepit Ecclesiae curam, eam Successoribus suis in Romana Ecclesia reliquit ad gubernandam universalem Ecclesiam.

VII. Dan-

VII. Dantur plura Scripta subposititia, quae a quibusdam pro veris sunt agnita. Huc pertinent e. g. Epistola Abgari ad Christum, et Epistola Christi ad Abgarum; item Canones Apostolorum, Constitutiones Apostolicae, epistolae decretales Isidori Mercat. saltim pleraeque etc. etc.

VIII. Sicuti Liberatio Trajani ex inferno ad preces Gregorii M. obtenta iure inter fabulas numeratur; ita narratio pluviae a Legione christiana sub M. Aurelio Imp. ut dicitur, impetratae omnem fidem historicam nondum obtinere potuit.

IX. Lapsum Marcellini aequae, ac Sinuesanum Concilium figmento oraculorum Sybillinorum adensemus. ---

X. Licet controversia de Baptismo Haereticorum, quae fuit Stephanum inter ac Cyprianum Orientem, et Occidentem commoverit; tamen nulla fidei scissio est facta.

XI. Quamquam cum Nicaeno I. et reliqua Orientis Concilia generalia auctoritate Imperatoria convocata sint; nihil tamen exin Juribus summi Pontificis praeiudicii adcessit.

XII. Constantinum M. primum Imperatorem Christianum fuisse, adferimus, eum Romae baptizatum esse negamus.

XIII. Felix II. ex Antipapa fuit factus legitimus Pontifex: et forte idem ipse est, qui in matriculam Sanctorum relatus ab Ecclesia colitur.

XIV. Sententia docens, Liberium Pontif. formulae Arianae subscripsisse quamquam ab aliis negetur, nobis tamen certa videtur.

XV. Vigilius Papa in causa trium Capitulum tandem adcessit Definitioni Concilii generalis V. retractato suo proprio Constituto, cui antea sedecim Ecclesiae Praesules subscriperant.

XVI. Honorium Pap. in Synodo VI. generali vere ut Monothelitam fuisse damnatum, acta incorrupta ejusdem Synodi satis evincunt.

XVII. Symbolum Athanasianum a S. Athanasio confectum non est, sed eius auctor probabilius fuit Vigilius Ep. Tapsensis.

XVIII. Sicut Henoticum Zenonis, quamquam Religioni nocuerit, tamen haereticum non fuit, ita Achatius iuste excommunicatus, et sua Sede privatus est, quin labe haereseos sit adspargendus.

XIX. Mulierem aliquam, sub quocunque denique nomine veniat, aliquando Episcopatum Romanum tenuisse, ne ipsi quidem Protestantes prudentiores amplius adferrere audent.

EX HERMENEUTICA SACRA.

XX. Hermeneutica sacra, quae est scientia sacram Scripturam legitime interpretandi, omnibus quidem Theologis, et Verbi divini Ministris, maxime vero illis, quibus catholicae fidei dogmata adversus Heterodoxos defendendi incumbit officium, non solum utilis, sed et necessaria est.

XXI. Canon sacrorum Librorum a Conc. Tridentino recte fuit constitutus.

XXII. Cur aliqui Libri sacri dicantur Proto-alii vero deuterocanonici? quaerenti respondebimus.

XXIII. Spiritus S. Scriptoribus hagiographis ita adstitit, ut non tantum in rebus fidei, et morum, sed nequidem in factis historicis errare possent.

XXIV. Vetus Testamentum quoad maximam partem hebraice, novum vero graece primitus scriptum est, si Evangelium
S. Mat.

S. Matthaei, et Epistolam S. Pauli ad Hebraeos excipias, haec enim hebraice primitus scripta fuerunt.

XXV. Evangelium S. Marci, quod Venetiis adservatur, est quidem latine scriptum, non vero, ut multi olim opinabantur, autographum S. Marci, sed latina ex graeco facta Translatio. --- Nec integrum ibidem adservatur, sed pars eiusdem in Ecclesia Metropolitana Pragenfi hodie monstratur a Carolo IV. Imp. eo transmissa. —

XXVI. Nec hebraici, graecique Bibliorum fontes, nec Vulgata eorumdem Translatio errorem continent fidei, bonisque moribus contrarium. Etsi tam in illos, quam in istam varia variis ex causis irrepserint minoris momenti sphalmata, quorum emendatio sobrium artis criticae usum omnino requirit.

XXVII. In pluribus Scripturae locis praeter sensum literalem admittendus est Sensus mysticus; et ex hoc quidem, si modo legitime fuerit comprobatus, non minus, quam ex illo firmum Theologus argumentum ad probanda fidei, Morumque dogmata potest delumere.

XXVIII. Vulgata versio a Patribus Tridentinis eo solum sensu declarata est tanquam authentica, quod in rebus ad fidem et mores spectantibus hebraicis, graecisque fontibus quoad sensum sit conformis, ideoque merito praeferenda caeteris latinis Versionibus, quae tunc temporis magno numero prodierunt.

EX THEOLOGIA DOGMATICA.

DE RELIGIONE.

XXIX. Sola ratio non sufficit ad totam Religionem naturalem intelligendam.

XXX. Et si sufficeret ad eam penitus cognoscendam, tamen haec ipsa Religio Naturalis, saltem in hoc corruptae naturae

ra statu adhuc insufficientis foret ad finem Creationis ultimum consequendum.

XXXI. Ex hac duplici insufficientia nondum Religionis divinitus revelatae existentia velut *a priori* evincitur; ea vero ceu res facti quam felicissime *a posteriori* documentis historicis demonstratur.

XXXII. Contra Theistas, et Socinianos ostendimus, Revelationem divinam quarundam veritatum, quae Rationem quidem humanam superant, ei tamen non repugnant, esse possibilem.

XXXIII. Tres praesertim Notae divinae bonitas nobis subpeditavit, quibus haut difficile est divinitatem olim Religionis Judaicae, et modo nostrae christianae, ab Impostorum fraudibus, et Daemonum praestigiis discernere; et haec Notae sunt *Vaticinia, Miracula, et interna doctrinae sanctitas.*

XXXIV. Probata prius genuinitate Pentateuchi ostenditur, Revelationem divinam extitisse in veteri Testamento.

XXXV. Existentia divinae Revelationis in novo quoque Testamento evincitur ex Scriptis Evangelicis, et Apostolicis, quae ad nos usque incorrupta pervenere.

XXXVI. Deo non solum cultus internus, sed etiam externus exhiberi debet.

XXXVII. Inter varias Religiones, quae Christi nomine gloriantur, sola Religio Romano-Catholica est vera et salvifica.

XXXVIII. In Ecclesia Christi debet esse Judex supremus, et infallibilis ad decidendas fidei, et morum controversias; et hic Judex est sola *Ecclesia docens*, seu corpus primorum Pastorum cum Romano Pontifice coadunatum.

XXXIX.

XXXIX. Et haec Ecclesia Christi praeter donum inerrantiae gaudet etiam dono Visibilitatis, atque Indefectibilitatis.

DE DEO UNO.

XL. Existentiam Dei *a posteriori* probamus, quin opus sit ad demonstrationem *a priori* recurrere.

XLI. Unicus est Deus, Natura simplicissimus, spiritus, omni tamen perfectionum genere infinitus.

XLII. Praeter *Scientiam simplicis Intelligentiae, et Visionis*, nulla in Deo admittenda est *Media*.

DE DEO TRINO.

XLIII. Tres dantur in Deo Personae Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus.

XLIV. Et hoc dogma sanctissimae Trinitatis ex fontibus sacris probamus, longe recedentes ab illis, qui ex ratione sola illud se demonstrare posse gloriantur.

XLV. Spiritus S. est verus Deus, Persona tertia in Trinitate, *a Patre, Filioque procedens.*

DE CREATIONE MUNDI.

XLVI. Hic Mundus adspectabilis non est aeternus, sed in tempore a Deo ex nihilo creatus, et quidem per spatium sex dierum.

XLVII. Explota fabula *Procedemitarum* tanquam primos homines constituimus Adamum et Evam.

D

XLVIII.

XLVIII. Qui quidem in Statu Iustitiae originalis fuerunt positi; attamen per suam inobedientiam praeter alia mala et sibi, et suis Posteris aeternam mortem adsciverunt.

XLIX. Omnes igitur, qui ab Adamo via naturali descendunt, peccatum originale contrahunt; quo vero modo hoc fiat, libere fatemur, quod ignoremus.

L. Moraliter tamen certum est, beatissimam V. Mariam ab omni macula fuisse immunem.

DE ANGELIS.

LI. Angelos existere, certum dogma est, et eos incorporeos esse satis ostendi potest.

LII. Bonos Angelos quoad Bona animae, et corporis hominibus in via constitutis professe, et malos Angelos eis in iisdem obesse posse, certissimum est.

LIII. Energumenos tempore Christi extitisse, homo catholicus non negat. Tales adhuc post mortem Christi existere posse, nos quoque defendimus.

DE DEO INCARNATO.

LIV. Redemptor noster JESUS Christus totum genus humanum, non tantum ex periculo mortis, sed ab ipsa morte liberavit.

LV. Et hic est verus Deus, et simul verus Homo, habens duas Naturas, duas voluntates, et duplicem operationem, sed unam tantum Personam.

LVI. Hinc Ecclesia recte definiit, beatissimam V. M. non solum Christiparam esse, sed veram etiam Deiparam.

DE

DE GRATIA DEI.

LVII. Gratia Dei actualis necessaria est ad omnes actus salutares, et proin etiam ad ipsum fidei initium.

LVIII. Eadem necessitas gratiae extendi quoque debet ad totam legem naturalem diu implendam.

LIX. Datur Gratia efficax, et gratia pure, et vere sufficiens.

LX. Gratia sufficiens datur omnibus hominibus, adultis, iustis, infidelibus, et peccatoribus nondum obduratis.

LXI. Libertas indifferentiae hominibus competit etiam in hoc statu naturae lapsae.

LXII. Gratia efficax ita explicari potest, et debet, ut non laedatur Libertas indifferentiae.

LXIII. Libertas a coactione non est Libertas, sed est vera necessitas.

LXIV. Inter Gratiam sufficientem et efficacem praeter discrimen extrinsecum, etiam intrinsecum admitti debet.

DE SACRAMENTIS.

LXV. Septem dari in Ecclesia Christi Sacramenta divinitus instituta, contra Sectarios sufficientissime ostendi potest.

LXVI. In Baptismi forma ad valorem requiritur, ut Unitas Dei, et Trinitas divinarum Personarum exprimat. Hinc Baptismus collatus sub hac forma: *Ego te baptizo in nomine Christi*: nunquam fuit validus.

LXVII. Christus Deus-Homo vere, et realiter praesens est in Sacramento Eucharistiae.

D 2

LXVIII.

LXVIII. Confessio auricularis non est inventum humanum, sed est institutionis divinae.

LXIX. Indulgentiae sunt per se quidem utiles, et salutares, abusus tamen, qui circa eas lucrandas versantur, tolli debent.

DE ALTERIUS VITAE STATU.

LXX. Sicut anima iusti ex hoc corpore plene purgata decedens statim beatitudine aeterna fruatur; ita anima peccati gravis rea mox ad poenas aeternas damnabitur.

LXXI. In quo vero consistat beatitudo Justorum, et Poena Damnatorum quaerenti respondebimus.

LXXII. Quum tamen certum sit, multos homines vel cum peccatis tantum venialibus mori, vel cum reatu poenae dimissa jam culpa gravi ex hoc mundo migrare; necessum erit, ut praeter locum beatorum, et damnatorum etiam tertius admittatur, quem dicimus *Purgatorium*. Huius igitur existentiam, ejusque usque ad resurrectionem Mortuorum durationem Catholici satis evincunt.

EX THEOLOGIA MORALI ET PASTORALI.

LXXIII. Theologia Moralis christiana est Scientia, quae mores hominum Legibus, et fini ultimo per Media ex Revelatione nota conformare docet; tanto Philosophia Morali praestantior, quando eiusdem incommodis superior.

LXXIV. Quare isthaec disciplina Morales hominum actiones ex officio ordinat, quatenus veram, ad quam creati sumus, beatitudinem adquiramus.

LXXV.

LXXV. Inprimis ergo accuratam naturae nostrae, et Moralis hominum status cognitionem nobis comparemus, ut alios quoque ex pleniore sui cognitione de natura, origine, et fine: de facultatibus, praerogativis, Defectibus, atque universa Sorte sua penitus instruere possimus.

LXXVI. Et ex hac quidem consideratione homo vi institutionis suae perfectus omnino fuit, ad finem supernaturalem per Media aptissima ordinatus, creatusque.

LXXVII. At vero brevi duravit ista perfectio; Protoparientes enim nostri, et in gravissimum inobedientiae peccatum prolapsi sunt, et omne genus humanum in eandem traxere perniciem culpae, et paenis obnoxii.

LXXVIII. Extractus quidem e dicto miseriae Statu per infinitam Dei bonitatem homo fuit; inde tamen cum rebelli concupiscentia ad agonem relicta quotidie colluctatur, cuius motibus assentiri numquam licet; sicut neque integrum est, sensuum oblectamentis etiam moderate tantum ex sola voluptate frui.

LXXIX. Prima nimirum actionum humanarum Regula *Charitas* est, sine qua verae, solidaeque virtutes ne dantur quidem; quaeque urget nos, ut opera nostra omnia virtualiter ad Deum dirigamus ex amoris saltem initialis influxu.

LXXX. Alterum succedit Christianorum Principium, iuxta quod agant, et iudicentur, videlicet sui abnegatio, et renuntiatio Creaturarum. Sed et crucem ferre quotidie oportet, ac Christum sequi. Haec enimvero in summa, omnis revelata Moralis christiana est.

LXXXI. Atque tali ratione fidelium quivis actiones suas instituere debet. Ampliora suggerit illa disciplina, quam *Theologiam Pastoralem* nuncupamus, seu Scientiam, qua Pastor, Ecclesiae Sacerdos praecipue, in iis omnibus rite instruitur, quae

D 3

necel-

necessaria sunt, ut fidelis, et prudens Myſteriorum Dei Diſpenſator in gloriam divini Nominis, et animarum ſalutem inveniantur. —

LXXXII. Huc ergo potiſſimum ſpectat, quod animarum Curatori incumbit, trinum munus nobiliſſimum, *Doctōris*, *Judicis*, et *Medici* erga ſemet non minus, quam alios conſtanter exercendum.

LXXXIII. Doceat autem praeter alia timorem Dei quidem utilem, et bonum eſſe; ex ſolo tamen inferni, paenarumque metu nondum perfecte agere hominem chriſtianum: atque adeo *attritionem* mere ſervilem ad Sacramentum Poenitentiae practice non ſufficere.

LXXXIV. Sed et iudicet, non licere infantem ab obſtricibus baptizatos indifferenter, etiam ſub conditione tantum denuo baptizare; item circumſtantias adgravantes in S. Confefſione exprimendas eſſe.

LXXXV. Medeat denique, quantum in viribus eſt, frequentiſſimum fidelium circa SS. Euchariftiam aut languorū, aut praefumtioni, ne vel indifferenter adcedant, vel diſpoſiti diutius abſtineant. --- Pro utroque puncto Regulas generales quaerit adferemus ſpiritui Eccleſiae conformes.

EX JURE ECCLESIASTICO.

LXXXVI. Potestas eccleſiaſtica, et potestas civilis in ſuo quaque foro a ſe invicem ſunt independentes.

LXXXVII. Heinc ſummis Imperantibus *Jus in Sacra* nullum competit, uti et Pontificem nullam quoque nequidem indiſcretam potestatem in Bona temporalia exercere poſſe, certiffimum eſt.

LXXXVIII.

LXXXVIII. Datur in Eccleſia Chriſti verum Imperium, et hoc eſt monarchicum ariſtocratia temperatum.

LXXXIX. Heinc Eccleſiam noſtram ſocietatem inaequalem eſſe pro dogmate fundamentali contra Proteſtantes adferitur.

XC. Jura Pontificis, quae habet praeter caeteris Episcopis ex ſcopo Primatus deſumi debent. ---

XCI. Immunitas eccleſiaſtica tam localis, quam realis non ſunt juris divini, neque etiam eccleſiaſtica, ſed a Privilegiis Imperantium originem ſuam habent. Idem dicendum de Immunitate personali, in quantum Clerici Bona temporalia poſſident. --- Fuerunt tamen ex convenientiffima juri naturali, ratione talia Privilegia conſeſſa.

XCII. Neque vero Decimae ex Jure divino debentur Clericis: congruam tamen ſuſtentionem et Jus naturae, et Jus divinum poſitivum eis adiudicant.

XCIII. Episcopi in ſuis Eccleſiis, niſi graviffima eos excuſet cauſſa, reſidere debent, et quidem ſua, non opera vicaria.

XCIV. Pluralitas Beneficiorum eſt plurimorum cauſſa maiorum.

XCV. Pacem Weſtphalicam valide, et licite initam eſſe, defendimus, quin ex hoc ſequatur, Proteſtationem Pontificis omni carere effectu.

XCVI. Mandatum Sereniſſimi Principis et Electoris Bavariae MAXIMILIANI III. felicis Recordationis *de abrogatione Sponsalium clandestinorum*, ſi ex parte Officialium exceſſus evitentur, non eſt vituperandum, ſed omni Reverentia digniſſimum.

XCVII.

XCVI. Coelibatus Clericorum non quidem Juris divini est, attamen a primaeva iam Ecclesia iustissimis ex causis introductus. ---

U. I. O. G. D.



PAPPENHEMII,

Litteris JOAN. JAC. SEYBOLD. Typogr. Aul.